Deo optimo max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & sancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA

Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 12. Decembris.

M. STEPHANO BACHOT, Doctore Medico, Præside.

Est-ne cuivis se Medicum professo statim credendum?

HOMO mundi compendium, ut temperamento, sic ratione cæteris præstans animalibus, non diù cunctatur in vivis, sed ut optima quæque manibus avaris prima rapiuntur, suisque numeris implentur deteriora, Sic quod longum vitæ tempus quibusdam animalibus vel deterioris notæ natura liberalior parens indulsit, hoc ipsum homini noverca durior invidit, ut sæpe in ipso vitæ limine vitâ cadat, ac interdum inter naturæ fingentis manus intercidat; quod si feliciter obstetricante naturâ prodeat in luminis auras, non semper extremam aut devexam ætatem attingit, sed ejus sæpè vita ante diem præter naturam præterque fatum abrupta violenter, & abrepta, cum gemitu fugit indignata sub umbras, usque adeò vitæ ac mortis confinia parvo discrimine medium ac breve quoddam temporis intervallum separat dirimitque.

HOMINEM natum longa statim malorum sepes invadit, inde iræ & lacrymæ. Tenellulum, pusionem, & adhuc à matre rubentem morbi adoriuntur quam plurimi. Adversus tot malorum Iliadem, quibus illius vita proposita est, una Medicina omnium scientiarum nobilissima succurrit, quâ destitutus homo omnium animalium infelicissimus foret, habent enim illa unde se tueantur & alia lacessant, uni homini dura & immitis natura extitit, quem γυμνὸν ἐ ἄνοπλον abjicit in nudam humum, spectatores salutantem fletibus, neque oratione primas agentem partes, sed lacrymis. Fuit ergo ars hæc liberalis & divina homini per totum illius vitæ curriculum necessaria, non tantum ad tuendam, sed & restituendam quoque sanitatem, sine quâ nec Regibus regna suavia, nec Ducibus fortitudo gloriosa, nec Erudito jucunda sapientia. Hanc à Deo Opt. Max. creatam nemo perfectè consequutus est præter Christum, Apostolos, Adamum, & Salomonem. Verè hæc Dei manus & munus est, ipsam aliquando naturam superans, morborum non semper medicatricem. Θεομιμησίαν jurè quis hanc disciplinam appellitet, cum versetur circa salutem hominibus dandam, ut ipsa divisum cum Deo Imperium (absit verbo injuria) quodammodo habeat. Tantæ dignitatis est, ut ipsi pareant Reges, & cui numquam impune refragentur: habet tamen ars hæc tam benefica. nec ingloria suos malevolos, qui tot beneficiorum immemores eandem proscindunt & lacerant, sed hoc ipsi commune est cum Regibus, ut malè audiat, cum benefecerit.

MEDICINAM certò dari nemo negaverit, medicum non item. Vilis quidèm, præsertim hoc ævo, Medicastrorum annona; sed γνήσιος καὶ ἠδελφισμένος ἰατρὸς, verus, perfectus, & omnibus suis absolutus numeris Medicus avis rarissima. Non omnes qui Cytharam pulsant Cytharœdi sunt, nec omnes qui profitentur se tenere Medicinæ scientiam ipsi sunt Medici. Hoc titulo jurè glorietur, qui bonis præditus moribus, & omnium ferè scientiarum Encyclopædiâ instructus, non antè Medicinæ scientiæ sacris, ὀργίοισι τῆς ἐπιστήμης initietur, quam sophiæ litaverit, cujus studium sic Medico necessarium est, ut illius præsidio destitutus Ἀγύρτης, ejus famulitio cinctus inter Asclepiadas ἰσόθεος habeatur. His informatus litteris, Medicinæ operam maturè, in loco idoneo, laboris amantissimus navet, & in Hippocratis ac Galeni, qui veræ & Dogmaticæ Medicinæ διδάσκαλοι, & statores acerrimi fuere, lectione versatus, morborum inde diagnosim, prognosim, & Therapeiam probè addiscat. Qui hæc, aut omnino non novit, aut parcè tantum ac tenuiter, probus Medicus haberi non potest, quales sunt quam plures medicastri, qui artis, quam profitentur, ignari, aut eâ leviter imbuti, empto levi pretio in peregrinis Academiis Doctoris titulo; aut saltem se emisse simulantes, sic ementito honore superbi domum redeunt, ut civium sanguine & divitiis saginentur. Secus se res habet in Facultate Medicinæ Parisiensis Scholarum omnium Metropoli ac verè κυδιανείρῃ, in quâ gradus ille doctoratus, non favore, non ambitu, non fæda munerum nundinatione, sed solâ virtute ac sudore multo emitur & comparatur.

NEMO potest diu vivere sanus & incolumis, sine Medico, sed in eo eligendo omnes fermè (ô perversissima hominum judicia!) cæcutiunt; nemo nescire sustinet quis nummus legitimus sit, quis adulterinus ne quid fallatur in re vilissimâ, nec scire studio est quibus id, quod habet optimum, tueatur. In numismate non credit alienis oculis, in negotio vitæ ac sanitatis clausis, quod dicitur, oculis alienum sequitur judicium. Jàm salus non solum popularium nostrorum, sed & magnatum quoque comittitur non veris ac genuinis Medicis, sed, ô Pudor! Agyrtis, Circulatoribus, Circumforaneis, περιοδευταῖς, Parabolanis, Empiricis, Cucullatis, aliisque Sycophantis nobilibus, qui sæpè pro remediis venena ministrant: & hi sunt Pseudomedici quos aliquando Roma suis expulit mænibus, quos etiam Lutetia frequentes alit in sinu, & quibus mollis magistratuum lenitas sinit, ut nostros concives impunè jugulent, nobis spectantibus & intercedentibus, sed frustra; adeo hac in re exarmata sunt jura. Hi tamen feruntur à populo, & laudantur, quos vel audacia, vel amici cujusdam favor, vel petulantis linguæ jactantia; non solidæ Medicinæ cognitio extulit.

VIRI sagacis, & emunctæ naris est verum Medicum à falso distinguere, rari sunt, qui sepositâ personâ judicent, & norunt quid distent æra lupinis. Verus Medicus is est, non qui totum tempus terit in congerendis carbonibus, & fornacibus ædificandis, ut inde arcana nescio quæ eruat, quibus μοῖραν illam πεπρωμένην, fatalem illum & decretorium diem in longum tempus protrahere se posse vanis pollicitationibus jactitat; quales extitisse prædicant Lullum, Van-helmontium, Basilium Valentinum, Paracelsum, ac cæteras ejusmodi Medicinæ vomicas & carcinomata, sub quibus humanum corpus plerumque plus remedio, quam ipsis affectibus laborat: sed qui haud similis histrionibus, ὑποκρίταις personam, quam repræsentant, non sustinentibus, vir bonus ac Deo veluti suppar, solers ingeniosus, Antiquorum Medicinæ Dogmatum Retinentissimus, Doctus plurimùm, nec minùs sedulus, ad Languidos vultus officiosissimè, nec lucro inhians, accedit; hunc solum Medicum Schola Medica Parisiensis agnoscit.

Ergo non cuivis se Medicum professo statim credendum.



DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Ioannes-Baptista-Renatus Moreau, Professor Regius.
M. Nicolaus Pelletier.
M. Renatus le Comte.

M. Franciscus Afforty.
M. Nicolaus de Iouvanci.
M. Germanus Preaux.

M. Dionysius Dodart.
M. Dionysius Puylon, Pharmaciæ Professor.
M. Ioannes-Baptista de Revelois.

Proponebat Lutetiæ FRANCISCUS VERNAGE, Parisinus Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1686.